

*MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80016-4*

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

HERMANN, KARL
FRIEDRICH

TITLE:

...SPICILEGIUM
ANNOTATIONUM...

PLACE:

MARBURGI

DATE:

[1839]

Master Negative #

91-80016-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87J97
EH4
Hermann, Karl Friedrich, 1804-1855. X
...Spicilegium annotationum ad Juvenalis Satiram
III. Marburgi, typis Elwertii academicis, [1839]
40 p. 19½ cm.


At head of title: Q. D. B. V. iussu et auctori-
tate amplissimi Senatus academici... Car. Franc.
Chr. Wagnero... die XXII. m. ianuarii a.
MDCCCXXXIX. gratulatur Carolus Fridericus Hermann
...

144354

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) / IB / IIB
DATE FILMED: 4/25/91 INITIALS F.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910




301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

87J97-BH4



87J97

E144

Columbia University
in the City of New York

THE LIBRARIES



Q. D. B. V.

IUSSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI

VIRO ILLUSTRISSIMO CLARISSIMO DOCTISSIMO

CAR. FRANC. CHR. WAGNERO,

PHILOSOPHIAE DOCTORI ET ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRO,
LITERARUM GRAECARUM LATINARUMQUE PROFESSORI PUBLICO
ORDINARIO ETC. ETC. ETC.

COLLEGAE CONIUNCTISSIMO

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM RITE ACCEPTORUM
MEMORIAM SEMISAECULAREM

DIE XXII. M. IANUARIII A. MDCCCXXXIX.

GRATULATUR

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN,

PHIL. D. ET P. P. O.

Inest spicilegium annotationum ad Juvenalis Satiram III.

MARBURGI,

TYPIS ELWERTI ACADEMICIS.

1839

87597
EH4

Nihil profecto exoptatius mihi evenire poterat, Illustrissime WAG-
NERE, quam quod eodem munere, quod ante hoc quadriennium a
TE depositum meis manibus traditum est, ita nunc uti jubeor, ut
qualem TU toties collegarum vita defunctorum memoriae pietatis
operam praestitisti, similem sed multo laetiores TIBI ipsi vivo va-
lentique cum summo totius Academiae plausu tribuam, quodque
ante hoc septennium, quum primum collegam TE salutarem, inter
nos convenerat, ut quaecunque in hoc communi studiorum nostrorum
genere ad honorem et dignitatem professionis TUAE pertinere vide-
rentur, integra TIBI manerent, onera autem et negotia, quibus TE
premi sentires, meos in humeros reciperem, cum exitum habuit,
ut hoc ipsum officium, quo TE levavi, in honorem TUUM dignita-
tisque per dimidiatum saeculum gestae gratulationem convertere liceat.
Neque vero ea mihi mens est, ut mea qualicunque facundia laudibus
TUIS quicquam accedere posse arbitrer, cujus jam ante hos quin-
quaginta annos tam clare virtutes et merita splenduerint, ut ultro
TIBI et summi in Philosophia honores ab Universitate patria decer-
perentur et jus docendi in celeberrima illius aetatis Academia Got-

tingensi offerretur, neque eam suspicionem incurram, ut TUA doctrina, solertia, dexteritate praedicanda ipse quasi sententiam de TE ferre videar, qui me eodem tempore, quo TU jam summas literarum nostrarum causas in hac Musarum sede exponebas, vix primis earundem elementis imbui coepisse sciam: sed, quo majorem honorem seni a juvene haberi non posse constat, TUO ipsius exemplo imitando ita rem meam agere institui, ut ex eodem doctrinae orbe, cui TU dudum nominis TUI memoriam credidisti, argumento desumpto hujus quoque diei monumentum quantum possem perenne exigere studerem. Commodissime autem accidit, ut inter plurima eruditionis et acuminis specimina, quibus TU per viginti quatuor annorum spatium Academiae nostrae programmata et prolusiones ornasti, Juvenalis quoque Satiras identidem illustratas videam; quas quum hoc ipso tempore adolescentibus disciplinae nostrae traditis explicandas susceperim, ex Satira tertia, omnium facile venustissima, cujus TU ipse olim duos locos ab interpretum perversitate vindicasti¹⁾, si quid mihi praeterea rectius quam adhuc factum sit tractandum videatur, paucis enarrabo TUoque judicio, Vir Praestantissime, qua decet modestia et observantia subjiciam. Nondum enim eo perventum esse, ut vel conjuncta omnium editorum opera ad genuinam poëtae sententiam ubique aperiendam sufficiat, nemo negabit, qui vel recentissimorum interpretum commentarios inspexerit multa far-

1) In prooem. Ind. lectionum a. 1814; cf. Opuscc. Acad. T. I, p. 210 sqq. et de Egeriae fonte et specu ejusque situ comment. Marb. 1824. 4, p. 4.

ragine onustos de rebus indubiis vel ad ipsam loci, de quo agitur, explicationem minime necessariis, de gravissimis autem quaestionibus aut in diversissimas partes discedentes aut vetustos errores credula fide recoquentes aut tanquam tironibus nota praetereuntes, in quibus vel doctorum pedes offendere possint; utque ipsas difficultates mittam, quas ad liquidum prorsus perducere non posse facile patior, ne ea quidem, quae in propatulo sita sint, ita ut debeant intellecta esse, recentibus documentis Madvigius, acutissimus harum rerum arbiter, ostendit²⁾; codices denique manu scriptos, licet numero omnes paene antiquitatis scriptores superent, impeditissimorum locorum angustias minime expedire clarissimum Achaintrii exemplum demonstravit, quem ipse nosti triginta quinque librorum comparatione instructum tamen paucis tantum locis eam medelam attulisse, ut quae antea vere obscura fuissent non amplius facem vel criticam vel exegeticam desiderarent. Quanquam de critica factitanda in hoc poëtarum genere quid sentiam, dudum alibi exposui³⁾, tantumque abest ut multos locos apud Juvenalem inveniri arbitrer, quos, nisi ipsi codices suspicionem moverint, propter solas sententiae tenebras pro corruptis haberi conjecturisque tentari oporteat, ut potissimam interpretis operam in ea lectione tuenda et declaranda ponendam censeam, quae aut plurimorum aut optimorum

2) De locis aliquot Juvenalis interpretandis, Hafn. 1830. 4 (et in ejusd. Opuscc. Acad. p. 29 sqq.). De locis aliquot Juv. explicandis disput. altera; ibid. 1837. 4.

3) In judicio de Persii editione Plumiana in Ephem. Schol. 1833, p. 317.

codicum auctoritate comprobetur, nec dubitem quin facili negotio, modo in ipsum poëtae animum nos cogitatione quasi insinuemus, vel speciosissimae hariolationes maximaque auctorum suorum fama commendatae ita refutari possint, ut non modo non necessarias sed ne meliores quidem quam tralaticiam scripturam dici posse appareat; quo in genere etsi multa jam ab recentioribus editoribus recte remota sunt, nonnulla tamen ab his quoque servata videmus, quae eodem jure rejici debuissent. Sic, ut hoc utar, in hujus Satirae v. 170, ubi in omnibus libris haec leguntur:

*Fictilibus coenare pudet, quod turpe negavit
Translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam
Contentusque illic veneto duroque cucullo,*

Rupertius ab Henr. Valesio ita sibi imponi passus est, ut pro *cucullo* reponeret *culullum* hoc est *poculum ansatum*, inductus scilicet *fictilium* mentione, quae antecessit, quasi non intolerabilis inde tautologia existeret, si poëta eum, qui fictili poculo contentus sit, fictilibus sine pudore uti diceret; longe profecto melior est vulgaris lectio, cujus haec sententia est, hominem, qui ad municipalis vitae simplicitatem delatus in duro et horrido rusticorum vestitu acquiescat ⁴⁾, nec mensae suppellectilem pretiosam et splend-

4) Columell. I, 8, 9: *Cultam vestitamque familiam magis utiliter quam delicate habeat munitamque diligenter a vento frigore pluviaque, quae cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis (l. consutis) vel sagis (sagatis id. XI, 1, 21) cucullis; unde tamen non sequitur, ingenuos eo vestitu uti non potuisse: διὰ θεῶν certe. quae Columellae sunt pelles manicatae, rusticos quamvis liberos indutos videmus apud Aristoph.*

dam requisitum esse, idque etiam ex proxime sequentibus confirmationem accipit, in quibus poëta hanc ipsam cuculli mentionem persecutus de raritate habitus urbani apud reliquae Italiae incolas loquitur. Omnino dici non potest, quantum in Juvenale interpretando ad sententiarum nexum respiciendum sit, qui etsi haud raro vel lyricorum saltuum qui dicuntur licentiam refert nec tam certa et praestituta membrorum serie quam fortuita extremorum cohaerentia venitur, tamen quo remotior est, eo accuratius exquiri debet, ne quid nos fugiat, quod poëtae in transitu faciendo observari consentaneum fuerit; eamque diligentiam vel in Gustavo Pinzgero desidero, qui in disputatione alioquin recti sanique iudicii plena de versibus spuris et male suspectis in Juvenalis Satiris (Vratislav. 1827. 4) p. 9 optimae notae versum 113:

Scire volunt secreta domus atque inde timeri,
tanquam ex prava lectione antecedentis versus:

Horum si nihil est, aulam resupinat amici,
ortum eliminandum iudicavit, quod profecto non fecisset, si ad Satirae dispositionem singularumque partium inter se relationem attendisset, cujus haud scio an iasigne documentum hoc ipso versu

Nubb. v. 73 et Lucian. Tim. c. 6, ubi plura Hemsterhusius, neque omnino diversam plebeculae a servis speciem fuisse testatur Xenophon de Republ. Att. I. 10, quod ne in Italiam quoque transferre dubitemus, municipalem certe vitam toga, qua sola cives Romani a servis distinguebantur, plerumque caruisse Martialis quoque testatur IV, 66, 3. Ridicule autem Rupertius huc retulit *lacernarum* cucullos, quibus obiecti juvenes urbani per tabernas et lupanaria vel adulteria vagabantur (cf. nostrum VI, 330 et VIII, 145), quasi tales delicias vel librarius aliquis ad Marsos et Sabellos transferre potuerit!

contineatur. Nam ut paucis comprehendam, quae universi carminis explicationi substruenda videntur, quatuor potissimum argumenta sunt, quibus Umbricius vitae urbanae taedium secessionisque consilium defendere conatur: primum quod nihil nisi malis artibus effici in urbe possit (v. 29—57), deinde quod Graecos majore quam indigenas favore uti videat (v. 58—125), tum inter ipsos cives misera pauperum conditio, qui a divitibus vel iis excludantur, unde angustiis suis remedia petere possint (v. 126—189), denique ruinae, incendia aliaque vitae et valetudinis discrimina, quae per singulas diei noctisque partes satis facete et graviter recenset (v. 190—314); horum autem membrorum quum tria posteriora satis commodos ac conspicuos transitus habeant, a primo ad secundum ita tantum transgredi poeta poterat, ut, quum modo dixisset v. 49:

*Quis nunc diligitur nisi conscius et cui fervens
Aestuat occultis animus semperque tacendis,*

horum ipsorum in numero primum locum Graeculos tenere indicaret; quod si reliqua omnia quae de Graecis dicuntur, hanc potissimum vim habent, ut ostendant, quibus illi artibus eo perveniant, ut *viscera magnarum domuum dominique* fiant, ipsius de quo agimus versus sententia cum universo disputationis tenore arctius conjuncta est, quam ut ejus locum et auctoritatem a sola antecedentis versus lectione pendere existimemus. Quod autem Pinzgerus negat in vera et genuina hujus versus forma, cui *aviam* pro *aula* reddendam esse jam veteris Scholiastae testimonium suadet, quicquam inesse quod ad *secreta domus* eorumque conscientiam referri possit, ita tantum

excusandum arbitror, si eum ad Rupertii interpretationem respexisse cogitemus, qui ideo Graecum ad vetularum consuetudinem descendere censet, ut earum quippe garrularum familiaritate usus secreta domini resciscat et propterea ab eo timeatur; poeta qua pollebat humani ingenii notitia probe intellexit hominem, qui unum aliquem ex domesticis ad flagitium pellexisset, hac ipsa rei, quae merito inter *secreta domus* referretur, conscientia *carum* fore ei, cujus turpitudinem quando vellet accusare posset (v. 53); librarium contra dubito num vel inter insulsissimos monachos adeo stolidum bardumque nobis fingere liceat, qualem Pinzgerus vult, ut eum, qui *aulam amici* revolutam perscrutatus esset, ad ejusmodi secretorum notitiam pervenisse censuerit, unde libero atque ingenuo homini timendus exstitisset! Longe profecto facilius suspicio esset de versibus 51 et 52:

*Nil tibi se debere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te secreti fecit honesti,*

qui quum nihil nisi variationem ejus sententiae exhibeant, quae proxime antecedentibus, quos modo posui, inest, eo facilius pro insiticiis haberi possint, quo minore negotio sequentia:

*Carus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult
Accusare potest etc.*

ipsis illis duobus versibus omissis cum prioribus nectuntur; sed ne de his quidem tristiore sententiam ferre audeam, quia et ipsa illa variatio per oppositum, quod continet, jejunitatis et tautologiae speciem evitat, neque unquam obliviscendam est nos in Juvenale versari, hoc est in eo poeta, qui ad mediam usque aetatem declama-

verit ⁵, cujusque persona neququam alienum sit iis figuris dicendique lenociniis uti, quae si quis omnia tolli voluerit videndum erit ne ipsum Juvenalem in Juvenale frustra quaeramus. Duos tantum locos in hac Satira novi, quorum in altero temere reprehensam Rupertii audaciam defendendam, alterum secundum veteris scripturae vestigia concinnandum rediategrandumque suscipiam; in reliquis omnibus si quid offendat deficiente codicum subsidio interpretatione potius quam emendatione subveniendum esse ipse quantum potero hac descriptione comprobare conabor. Et ipsorum illorum locorum alter v. 218, ubi haec vulgo legebantur:

*Ardet adhuc et jam occurrit qui marmora donet,
Conferat impensas: hic nuda et candida signa,
Hic aliquid praeclarum Euphranoris et Polycleti,
Phaecasianorum vetera ornamenta deorum,*

vel codicum nonnullorum ope a Rupertio ita refectus est:

*Haec Asianorum vetera ornamenta deorum,
eamque emendationem quo acerbius nuper Guil. Ern. Weberus reprehendit ⁶, eo clarius mihi profitendum videtur non apparere quomodo vir aut antiquitatis aut Latinae linguae gnarus, qualem illum*

⁵) Verba sunt Suetonii, sive Valerium Probum appellare mavis, in Vita poetae, quibus egregium commentarium adjecit Nisardus, exacti iudicii vir, in libro bonae frugis pleno, a quo nescio cur Guil. Ern. Weberus in praefat. interpr. suae p. X Germanos philologos deterruerit, *Etudes de mœurs et de critique sur les poètes latins de la décadence*, Paris 1834, 12, T. II p. 115 sqq.

⁶) Die Satiren des D. Junius Juvenalis. übersetzt von Wilhelm Ernst Weber, Halle 1838, 8; p. 322: Die Phäkasianischen Götter werden so lange im Texte bleiben müssen,

alioquin satis novimus, de vulgata lectione defendenda cogitare possit; quae si quem sensum haberet, *Phaecasianorum deorum ornamenta* per appositionem Euphranoris et Polycleti opera diceret, quorum de neutro quicquam constat, quapropter ipsorum signa vel picturas *phaecasiis* potissimum instructas fuisse dicamus, nedum ut his duobus aliquid commune fuerit, quod eorum operibus prae aliis tale epitheton conciliarit ⁷), utque fieri possit, quod nonnullis placuisse video, ut *phaecasia* omnino *Graecos* deos denotent ⁸), *phaecasiatos* certe dicere debebat, *phaecasianos* non magis poterat quam *tunicanos* vel *pallianos* pro *tunicatis* vel *palliatis*, quae sola hujus generis adjectivorum formandi ratio patet ⁹). Neque equi-

bis man nachweist, was man denn an den Asianischen Göttern, welche Rupert eingeführt hat und um der läppischen Verschreibung der wenigen Handschriften, die die Verballhornung haben, nichts zu vergeben, durch eine Sie überreichen lässt, Besseres hat? Da Phäkas oder Phäkasien einen weissen leichten Priesterschuh bedeutet (s. Balduinus de calceo antiquo Cap. 14), so lassen sich jene Phäkasianischen Statuen sehr wohl erklären: es sind ohne Zweifel die welche jene den ganzen Fuss bedeckenden und an den Seiten sich umklappenden Schuhe anhaben. Ceterum vel in eo Weberus errat, quod primum Rupertium hanc lectionem in ordinem recepisse arguit; habet enim jam Pithoei editio a. 1585 probatque Lipsius ad Senec. de benef. VII. 21, quo ex loco etiam illud videmus, non sacerdotum haec calceamenta propria sed cum omnibus communia fuisse, qui quidem morticinis abstinere, ut Pythagorei; cf. Scheffer. de philosophia Italica (Vitemb. 1701, 8) p. 153.

⁷) De utroque statuario cf. Plin. Hist. nat. XXXIV, 8, 19 et Sillig. Catal. Artiff. p. 205 et 361 sqq.; quanquam mihi quidem veri similis videtur Euphranoris nunc picturam indicari, qua etiam nobilior quam statuaria arte fuit; cf. Plin. XXXV. 41. 40 et Lucian. Imagin. c. 7; sic enim sculptoriae, quam *nuda et candida signa* spectant, duarum praeterea insignissimarum artium principes adjiciuntur.

⁸) Sic Seneca Epist. 113 *phaecasiatum palliatumque* jungit, ut Plutarchus V. Anton. c. 33: *ἡ ἰματῖον καὶ φαικασίον*.

⁹) Recte Ramshornius in praef. Synon. Latin. (Lips. 1831, 8) T. I, p. XLVIII: *anus, enus etc. bedeutet überhaupt der äussern Beschaffenheit nach von der*

dem video, quid in Rupertiana lectione reprehendendum sit, quapropter eam vel corrumpere poëtae verba vel obscuritate vulgatam aequare arguamus: Asianos certe deos ipsum *veterum* vocabulum indicat esse simulacra non Graecae artis ut antecedentia verum barbaricae, antiquitate potius et sacro aliquo horrore quam artificio et venustate conspicua, sed quorum illa aetate non minor quam Aegyptiacorum honor et studium inter perversas Romanorum delicias esse poterat, quumque vel apud Graecos feminas maxime peregrinis superstitionibus indulsisse constet ¹⁰⁾, nec Romanarum mulierum exempla desint, quas Phrygias, Syrias aliasque religiones studiose coluisse audiamus ¹¹⁾, tantum abest ut feminini generis pronomen absonum aut inficetum haberi possit, ut magno cum acumine Juvenalis talia potissimum munera muliebri personae tribuisse videatur; *ornamenta* autem, ut hoc addam, non sunt res externae

Gattung des im Stamm genannten oder zu der Gattung solcher Gegenstände gehörig, die gewisse äussere Merkmale und Bestimmungen mit einander gemein haben, wodurch sie sich von andern unterscheiden: quod si phaeasianos deos dici audiremus, eos tantum intelligere possemus, qui ex eo genere essent, quod ad phaeasia potissimum pertineret, ut mundanos qui ad mundum potissimum spectant; neque quicquam ad defendendam vulgatam afferri posse arbitror nisi quod Turnebus Advers. X. 27 comparavit, et ipsum ambiguum nec sua sibi auctoritate tutum, minianum Jovem apud Cicer. ad Famil. IX. 16, ubi itidem alii miniatum legi jusserunt; ad conjecturas autem si res redeat, feasianorum multo facilius ex hecasianorum quam ex fecasiatorum oriri potuisse, quicumque aliquem codicum latinorum usum habet, facile concedet.

10) Aristoph. Lysistr. v. 388: ἀρ' ἐξέλαμψε τῶν γυναικῶν ἡ τρυφή, καὶ τυμπανισμός καὶ πικροὶ Σαβύζιοι, ὃ τ' Ἀδωνιασμός οὔτε οὔτε τῶν τεγῶν; cf. Stob. Floril. LXXIV. 62, T. III, p. 84. Gaisford.

11) Juven. IX. 24: nam quo non prostat femina templo?

quae ad illorum deorum cultum et ornatum afferantur, sed ipsa signa, quae quum templis aedibusque ornandis inservirent, eodem jure quo Graece ἀγάλματα ¹²⁾ Latine *ornamenta* dici poterant, quo facto genitivi eadem ratio erit quae eorum exemplorum ubi appositionis locum tenere dicitur, cf. Ruddim. Institt. L. L. II, p. 37 sq. Alter locus est v. 36 sqq.:

Quondam hi cornicines et municipalis arenae

Perpetui comites notaeque per oppida buccae

Munera nunc edunt et verso pollice vulgi

Quem libet occidunt populariter etc.

cujus etsi sententia satis constat neque ea repeti opus est, quae de *pollice verso* occidendorum gladiatorum signo ab interpretibus allata sunt, tamen nescio quomodo offendit illud *quem libet*, quod quum verborum structura ad ejus qui munus edat libitum referri jubeat, non sine violentia ad vulgus trahere poterimus, cujus tamen unius arbitrium illum sequi vocabulum *populariter* ostendit; atqui alios aliter legisse arguunt codicum editionumque vetustarum scripturae *vulgus* et *quum libet*, easque etiam scholiastae explicatio spectat: *ab his populus occiditur, quos ante populus jubebat id est imperabat occidi*, unde quomodo Cramerus ¹³⁾ colligere potuerit

12) Cf. Ruhnken. ad Timaei Lex. Platon. p. 5.

13) In D. Jun. Juvenalis Satiras comm. vetusti, Hamb. 1823. 8, p. 75: Immo videtur interpres pro *Quum libet* apud poëtam legisse *Quum jubet*, quod nisi esset, non adidisset explicationis loco: id est imperabat. Et sane sensus bonus est: hae buccae populariter occidunt, quum vulgus jubet verso pollice; etsi ita non scripserit Juvenalis. At si

scholiastam legisse *quum jubet* non intelligo: is certe quum *versum pollicem* ad *mutatam fortunam* retulisset, errore errorem trahente hanc mutationem in eo posuit, ut qui antea in vulgi potestate fuissent, nunc ipsi vulgus quando vellent occiderent. Illud tamen recte quasi hariolatus esse videtur Cramerus, pro *libet* scribendum esse *jubet*, nec scholiastae interpretatio quamvis absurda prorsus negligenda est, si quidem inde apparet genuinam lectionem esse *vulgus*, cui tum demum, quum *jubet* in *libet* depravari coeptum esset, concinnandae structurae causa ab aliis genitivus substitutus est, dum alii faciliore via *quem* in *quum* mutando ad ipsam illam ridiculam scholiastae sententiam pervenirent; omnia igitur recte procedunt, si ita scripsisse Juvenalem suspicamur:

— *et verso pollice vulgus*

Quem jubet occidunt populariter —

eoque facto etiam illud prohibetur, quod in vulgata lectione magnam offensionem habet, ne praeter prodigalitem et ambitiosam opum modo comparatarum effusionem cerdonibus illis etiam crudelitatis et saevitiae nota quam minime mereant inuri videatur. Totius enim loci quae vis sit, similis argumenti epigramma docet apud Martialem III, 16:

Das gladiatores, sutorem regule, cerdo,

Quodque tibi tribuit subula, sica rapit —

ita legisset scholiasta, aliud explicasset ac legisset; quod nisi corrupta ejus verba censeamus, veri simillimum erit, ipsius quoque verbis ab alia barbarici aevi manu novum glossema adscriptum esse.

Lusisti, satis est; sed te, mihi crede, memento

Nunc in pellicula, cerdo, tenere tua;

quod quum ipse Rupertius comparasset, non opinor negare debebat de ejusmodi hominibus sermonem esse, qui propter impensas in munera factas ad inopiam redigantur; quippe hoc ipsum significant sequentia: — *inde reversi*

Conducunt foricas et cur non omnia? quum sint

Quales ex humili magna ad fastigia rerum

Extollit quoties voluit Fortuna jocari:

quae tantum abest ut *ditissimos* significant, qui nullo tantum discrimine facto omnia vel sordidissima amplectantur, modo lucrum inde proveniat, ut ipsius Fortunae vicissitudines declarent, quae etiam si quem quasi jocandi causa in fastigio a moribus suis alieno posuit, eundem mox eo profundius cadere jubet, quo altius eum antea escendere passa erat. Hoc vero si constat gradationem in his verbis contineri eam, ut a magnifico ludorum apparatu redeuntes ad viliora et sordidiora relabi dicantur, quam quibus ad illas opes pervenissent, *foricas* quoque, quas conducunt, *latrinas* interpretari debemus, non *tabernas foro vicinas* aut *vectigal vinarium*, quas explicationes scholiasta ex aliis affert, non ipse probat, nec satis mirari possum Dirksenii temeritatem, qui in Manuali latinitatis fontium juris civilis (Berol. 1838, 4) p. 385 *foricarium*, quod verbum semel tantum in Scaevolae Jcti fragmento l. 17 §. 5 ff. de usuris legitur, sine ulla haesitatione *conductorem loculi vel tabernae in foro* interpretatus est, quo facto omnis nostri loci vis et acumen

non minus periret quam si v. 231 cum Rupertio *tabernam pro lacerta* substituere velimus; quod si vel etymologica illius significationis ratio deficeret, ipsa sententia tuta et firma maneret, nunc quum *foria*, *foriolum*, *conforire* habeamus apud Nonium p. 114, profecto non est cur ad *forum* confugiamus, unde ne illud quidem apparet quomodo *forica* secundum linguae leges derivari possit¹⁴).

Sed haec jam ad interpretationem ipsam pertinent, quae quamvis saepissime etiam cum critica facienda conjuncta esse debeat, tamen ne nimis a proposito aberrem, ad eos potius locos me convertam, in quibus ipsos interpretes aut nihil vidisse aut falsa specie seductos a vero aberrasse censeam, eo tantum temperamento adhibito, ut non commentarii perpetui instar quaecunque mihi vel nove vel aliter atque adhuc factum est interpretari posse videar, cum pulvisculo exhauriam, sed in iis maxime immerer, de quibus aut in diversas partes disputatum sit aut nimis longe repetitum videatur, quod quo simplicius interpretemur, eo propius ad poetae mentem accedamus. Quo in genere statim post ea quae proxime tractavimus occurrit v. 44:

14) De perverso etymologiae studio apud Romanos ejusque fructibus haud raro ridiculis Bickellius olim noster in Prooem. Ind. lectt. hib. 1829—30 docte disputavit, nec mirandum est si semidoctus grammaticus in vocabulo, quod hoc solo loco legatur, externam potius radicis speciem quam terminationis analogiam secutus est; Dirksenius autem si fortasse ad *vectigal foricularium* respexit, quod in inscriptione apud Gruterum et alios una cum *ansario promercalium* ita commemoratur, ut ad mercatores spectet (cf. Burmann. de Vectig. P. R. p. 73 et Furlanettum ad Forcellini Lex. s. v.) hoc verbum a *foriculis* potius derivandum videtur, quae sunt parvae fores sive valvulae ad fenestras ocludendas (Varro de R. R. I, 59, 1), *foria* autem et *foricas* Doederleinus (Latein. Synonyme und Etymol. T. V, p. 362; T. VI, p. 134) ad Graecam radicem *φορέειν* vel *φορέειν* retulit.

— *funus promittere patris*

Nec volo nec possum; ranarum viscera nunquam

Inspexi —

ubi jam antiquitus fuisse qui longius interpretando abirent, scholiastae verba produnt, qui ad *ranarum viscera* haec adscripsit: *non sum venenarius*¹⁵), excusabimusque hoc nomine Guil. Ern. Weberum, qui lectore ad Sat. I. v. 70 remisso sibi quoque eam sententiam probari indicavit, qua miserae illae ranae eodem loco habeantur cum rubetis, quibus venefici ad flagitia sua utebantur; idem tamen quum etiam Sat. VI. v. 548 adhibeat, nescio quomodo sibi ipse contradicit, si quidem ille locus non ad veneficia sed ad superstitiones magicas haruspicinamque ex animalibus insolitis faciendam pertinet, eamque solam interpretationem omnium videlicet simplicissimam etiam nostro loco unice convenire arbitror, praesertim quum ne unum quidem exemplum exstet, quod solum *ranae* nomen pro *rubeta* ad veneficia translatum ostendat, neve generis verbo etiam species comprehendi potuisse videatur, aliarum ranarum succum et viscera pro antidotis potius habita legimus¹⁶). Quanquam haec leviora sunt;

15) Idem paulo ante ad *motus astrorum ignoro* annotasse traditur: *non sum maleficus*, neque aliud enotavit Orellius in Prooem. Ind. lectt. Turic. a. 1833, ubi multa apographi Crameriani menda correxit; ego tamen nullus dubito quin genuina lectio sit: *non sum mathematicus*; cf. nostrum VI. 562 etc.

16) Plin. Hist. N. XXXII. 5. 18: *Ranarum marinarum ex vino et aceto decoctarum succus contra venena bibitur et contra ranae rubetae venenum et contra salamandras jecur ranae geminum esse dicunt objicique formicis oportere, eam partem quam appetant, contra omnia venena esse pro antidoto.*

gravior altera quaestio de Umbricio ipso Juvenalis amico, cujus personae plurima hujus Satirae pars tribuitur; quem quod interpretes certatim eundem habent cum haruspice, qui Galbae imperatori instantem principatus finem praedixisse traditur¹⁷⁾, praeter nominis similitudinem nullum argumentum habere possunt praeter hunc unum versum, quem si constet haruspice ore proferri, non nego ita explicari posse, ut is se aliarum quidem hostiarum legitimarum et solemnium viscera saepe, ranarum autem ejusque generis animalium nunquam inspexisse diceret; in aliorum autem testimoniorum penuria eodem jure ita interpretabimur, ut vir ille probus atque honestus omnino neget se cuiquam illarum artium tractandae parem esse, quibus nunc Romae opes comparentur, nec magis haruspicinae clandestinae quam astrologiae mathematicisque fraudibus deditum fateatur; quod nisi quis circulum in demonstrando tueri velit, nimium vidisse interpretum sagacitatem concedere debet. Accedit quod noster Umbricius v. 84 infantiam suam *coelum Aventinum hausisse baccaque Sabina nutritam esse* jactat, quum haruspices plerumque natione et origine Etruscos fuisse ipse Weberus annotarit¹⁸⁾, sin quis imperatorum tempore etiam aliunde supplementum videri haruspicum collegium objiciat¹⁹⁾, Umbricium certe, artis

17) Tac. Histor. I, 27; Plut. V. Galb. c. 24.

18) Cf. Raveni dissert. Haruspices Romae utrum natione Etrusci an Romani fuerint, Gott. 1822. 4 et Frandsenii Haruspices, Berol. 1823. 8, p. 17 sqq.

19) Sic in inscriptione apud Orellium T. I, p. 399 habemus *L. Fontejum Flavianum haruspicem Augustorum*, cujus gens Cicerone teste (pro Fontejo 14. 31) *Tusculo ex clarissimo municipio* profecta erat, nec si eum ex Flavia gente in Fontejam per adoptionem

suae illa aetate peritissimum²⁰⁾, et ipsa rei natura et cognominum hominum comparatio Etruriae eximere vetat²¹⁾; hoc autem gentilitatis indicium ne in ipsum Juvenalis amicum retorqueatur, Etrusci nominis hominem Romae quoque nasci potuisse non magis negabimus quam Postumii haruspice causa, qui apud Ciceronem est²²⁾, omnes quotquot sunt Postumios Etruriae asserentis, utque concedam *Aventinum collem et baccam Sabinam* non nisi Italicam prosapiam peregrinae opponere, haruspici tamen prae ceteris Etruriae mentio convenisset, neque intelligo quomodo is, qui Vespasiano ad imperium accedente inter principes suae artis fuisset, paulo post ad rei familiaris angustias redigi²³⁾, vel si Satiram post Domitiani demum mortem scriptam statuamus, quomodo tum etiam *recta et prima senectute* uti potuerit²⁴⁾. Haec hactenus; paucis absolvam v. 66,

transisse statuamus, hanc Etruscam sed Reatinam ex Sabinis inveniemus; cf. Sueton. V. Vespas. c. 1.

20) Plin. Hist. N. X. 7.

21) Umbricium equitem Arretinum ex Gorii Inscr. Urb. Etrur. T. II, p. 62, aliumque Sutrinum ex inscriptione apud Gruterum p. 302 commemorat Müllerus de Etruscis T. II, p. 14; idem tamen sanissimo judicio addit: *Aber warum Juvenal's Umbricius der Haruspex seyn soll, sehe ich nicht ein und halte das Gegentheil für sicher.*

22) De Divin. I, 33. 72

23) Satiram tertiam sub Domitiano scriptam censet Weberus in interpr. p. 301 nec renno, si quidem media poëtae aetas, unde hujus scripturae generis excolendi initium fecisse traditur, in ipsa illius regni principia incidit; quum autem Romae scriptam totum argumentum declaret, ipsum Weberum si sequimur, qui eidem imperatori cum Lipsio (Epistol. quaest. IV. 20) etiam exilium poëtae tribuit, scribi non potuit post annum 82 p. Chr., quo anno Paris, qui exilii causa fuisse traditur, Domitiani favore excidit, cf. Dio Cas. LXVII. 3.

24) Hunc enim aetatis gradum inter annos quadragesimum quintum et sexagesimum ponemus secundum Gell. N. Att. X. 28 et Censorin. de die nat. c. 14, qui teste Varrone usque ad LX annum seniores vocitatos tradit, quod hinc *primum senescere corpus* incipiat.

ubi *pictam* lupae barbarae *mitram* Rupertius interpretatur *acu pictam* eumque secutus Weberus reddidit *gesticketen Turban*, quod haud scio an nimis pretiosum fuerit pro *scorto ad circum prostare jusso*; mihi praefenda videtur *mitra versicoloria* ex earum genere, quibus primum Polygnotum Thasium mulierum capita operuisse narrat Plinius Hist. N. XXXV. 9. 35, nec verbum abhorret, quo idem XXXV. 11. 42 de singulari Aegyptiorum in medicandis vestibus artificio agens utitur, res ipsa autem vel maxime addicit, si quidem *acu pictae vestes*, hoc est Phrygianae²⁵⁾, inter matronarum potius ornamenta inveniuntur²⁶⁾, coloribus autem variegatae, sicut apud Graecos meretricibus propriae²⁷⁾, ita Romae quoque ad harum potissimum cultum pertinuisse videntur²⁸⁾. Jam vero properantem retinent vv. 114, 115:

*Et quoniam coepit Graecorum mentio, transi
Gymnasia atque audi facinus majoris abollae,*

25) Plin. Hist. N. VIII. 48. 74, Serv. ad Virgil. Aen. III, 484. pluraque apud Beckmann. Gesch. d. Erfind. T. III, p. 65 et Cramer. ad Schol. Juven. p. 249.

26) Plaut. Aulul. III. 5. 34; Menacchm. IV. 1. 5; cf. Justin. XX. 4: *ut matronae auratas vestes ceteraque dignitatis suae ornamenta velut instrumenta luxuriae deponerent*, et Appul. Metam. II, p. 115: *aurum in genis et in tunicis ibi inflexum hic intextum matronam profecto confitebatur*.

27) Suidas: νόμος Ἀθηναίων τὰς ἑταίρας ἀνθρα γορεῖν: cf. Petiti Legg. Attic. VI. 5. 7, p. 476 et Welckeri Prolegg. ad Theogn. p. LXXXVIII.

28) Quod Boettigerus in Sabina T. II, p. 91 et 109 contenderat, praeter aurum purpuramque nihil colorum in vestibus matronas gestasse, Beckerus in Gallo T. II, p. 97 ita impugnavit, ut ex l. 32 ff. de auro argento (34. 2) etiam *versicoloriam vestem* inter mundi muliebris legata afferret; litem, opinor, dirimet Artemid. Oneirocrit. II, 3, p. 85: γυναικὶ δὲ ποικίλη καὶ ἀνθηρὰ οὐμφέρι, μάλιστα δὲ ἑταίρα καὶ πλουσία ἢ μὲν γὰρ διὰ τὴν ἐργασίαν, ἢ δὲ διὰ τὴν τροφήν ἀνθηρὰς ἐσθῆρας χροῶνται.

non tantum propter insolitam abollae majoris mentionem, sed imprimis etiam propter diversas interpretationes ejus quod est *transi*, quod, si veterem scholiastam sequimur, significabit: *praetermitte minora eorum vitia et veni ad majora*, sin recentissimum interpretem Weberum: *lustra, gehe durch*, id est *mustere die Gymnasien, wo nach griechischer Sitte die Philosophen mit ihren Schülern conversirten*, nec qui media inter utrumque aetate intercedunt, eandem omnes sententiam sequuntur; maximam denique difficultatem illud objicit, quod utramcunque significationem amplectamur, eadem etiam alii loco adaptanda est, ubi eodem verbo ita poëta utitur, ut omnino cogitari non possit eum hic et illic contrariam vim ei tribui voluisse, Sat. VII, v. 190:

— *Unde igitur tot*

Quintilianus habet saltus? exempla novorum

Fatorum transi: felix et pulcher et acer etc.

idque etiamsi Rupertius protinus neglexit, Weberus tamen et illic sibi constitit vertendo: *durchgehe die Fälle neuen Geschickes: wer Glück hat ist liebreizend und geistreich*, dum verbi causa Joannes Britannicus, qui ad nostrum locum scholiastam sequitur, ad illum quoque haec annotavit: *verba sunt poëtae respondentis Quintilianum esse praetereundum tanquam unicum felicitatis exemplum etc.*, unde parem utriusque ambiguitatem esse facile patet. Quanquam duplici quaestione proposita, altera de ipsius verbi vi et potestate, altera de sententiarum nexu, quem, licet illa ambigua sit, vim tamen utrobique eandem postulare diximus, sin illa con-

stet, hunc quoque ex ea lucem normamque accipere necesse est — verbi quidem quod est *transire*, etsi pauca exempla exstent, ubi non tam praetereundi quam permeandi significationem habere videatur²⁹⁾, propria tamen vis et natura ea est, ut talem eundi actionem significet, qua fiat ut trans aliquam rem ponamur, hoc est eam a tergo relinquamus vel leviter tantum atque in transcurso perstringamus; quae quum ita sint, hoc equidem pro certo ponere audeo, si hunc significatum sententiarum tenor et structura in utroque loco patiatur, nullum praeterea requirendum esse nec doctioris fortasse explicationis causa simpliciore abjici debere. Atqui septimam certe Satiram *mitti* potius quam *lustrari* novorum fatorum exempla jubere vel inde apparet, quod eam ipsam felicitatem poeta mox *corvo quoque albo rariorem* appellat, quod si serio dixit, insanum profecto fuisset ex tanta exemplorum raritate documenta peti, quae *lustranda* alicui proponeret, aptissimum contra totique sententiae convenientissimum, si ea quae fatorum potius insolentiae et novitati quam solito et vetusto rerum ordini debeantur, mitti jubet inque

29) Utrumque junxit Cicero Academ. II. 37: *erit persuasum etiam solem lunam stellas omnes terram maria deos esse, quod quaedam animalis intelligentia per omnia ea permeet et transcat*, neque alienus est Horatii locus Epist. I. 6. 59:

Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos

Differtum transire forum populumque jubebat,

si quidem ibi quoque non tam de relinquendo foro quam de itinere per illud instituendo agitur; aliud tamen semper est iter facere per aliquem locum, aliud oculis cum lustrare et pervestigare, nec veri simile videtur poetam, qui VI. 602 et X. 273 *transco* praetermittendi significatu dixerit, nunc idem contrario sensu usurpare.

ullum censum venire negat³⁰⁾; nec nostrum locum, quamvis *gymnasia* philosophorum scholae dici possiat³¹⁾, accuratius inspectum hanc explicationem admittere quisquam negabit, qui ad *majorem* imprimis *abollam* animum adverterit, quam quum certatim omnes ad philosophorum pallium referant, *major* tamen cur dicatur, ita tantum explicare poterimus, ut aliam minorem ei opponamus, idque ipsum oppositum, quod gymnasiis ad philosophiae scholas relatis frustra quaesiveris, facili negotio nanciscemur, si *transeundi* vocabulo ad praeteritionem converso, gymnasia mitti vel obiter tantum tangi statuerimus, ut statim ad *majorem abollam* id est philosophorum consuetudinem oratio transgredi possit³²⁾. *Abollam* enim quippe *ἀναβολήν* non tantum philosophorum sed etiam militum fuisse clarissima testimonia ostendunt, ubi eandem cum sago significationem habere videtur³³⁾; sagum autem Graecorum chlamydi similli-

30) Possis etiam aliter, si *nova fata* pro *recentibus* dicta statuas, ut haec poetae mens sit, vel missis recentium fatorum exemplis omnino certum esse, felicem summa quaeque consequi, cujus rei deinde Ventidium ac Ciceronem testes citat; sed illud quantum equidem sentio simplicius.

31) Sic v. c. Cicero de Orat. I. 13: *Clamabunt credo omnia gymnasia atque omnes philosophorum scholae sua haec esse omnia propria.*

32) Martialis IV, 32. 5 de Cynico:

Cerca quem nudi tegit uxor abolla grabati,

quod etsi Madvigius Opuscc. p. 41 omnem vocabuli usum non exhaurire recte animadvertit, nobis tamen sufficet, ubi philosopho tribui potuisse apparuerit; proverbialem autem usum locutionis *majoris abollae*, quem ille tuetur, nullo fundamento niti arbitror, quam de eo quod est *transi* virum doctissimum mecum consentire laetor.

33) Nonius p. 538: *Abolla vestis militatis.* Varro Cosmotoryne *περί φθορῆς κόσμων*: *Toga tracta est et abolla data est ad turbam (l. tubam) fera militi muncra uti praestarem.*

num fuisse constat ³⁴), quam ipsam chlamydem solempne ephedorum gestamen fuisse novimus ³⁵); quod si illud praeterea meminimus gymnasia ephedorum potissimum exercitationibus destinata fuisse, nihil profecto obstat, quominus haec tanquam minoris abollae loca majori hoc est philosophiae opponi censeamus, quo statim, missa Graecanicorum exercitiorum mollitie ³⁶), reliquisque flagitiis quibus juvenilis aetas Graeculorum opera imbui solebat, poetam secum transire Umbricius jubet; constructio autem eadem erit quae verbi causa apud Ciceronem pro Quinctio c. 24: *neque te ipsum id quod turpissime suscepisses perseverare et transigere potuisse pro perseverantem transigere*, vel apud Terentium Adelph. V, 7, 19: *tu illas abi et traduce*, quam docte vindicavit Perizonius ad Sanct. Min. IV, 11, p. 877 ³⁷), nec dubito, quin sic omnia recte procedant, modo illa quae antecedunt: *quoniam coepit Graecorum mentio*, non ad *transi* sed ad *audi facinus majoris abollae* referamus. De versu 118 disputandi nobis compendium fecit Madvigii diligentia in Opuscc. p. 46, ubi Dionem Cassium, qui Egnatium

³⁴) Ferrar. de re vestiaria T. II, p. 105.

³⁵) Jacobs ad Anthol. Gr. I, 1, p. 24 sq. Hemsterhus. Anecd. ed. Geel p. 219.

³⁶) Cf. Plin. Hist. N. XXXV. 13 47: *Juventus nostra exercendo corpora vires animorum perdidit*; neque alienum est illud Plinii Epist. I, 22. 6, ubi Aristo laudatur, quod *non quidem gymnasia sectatur aut porticus nec disputationibus longis aliorum otium suumque delectat, sed in toga negotiisque versatur etc.* Adde eundem IV, 22. 7. et Varr. R. R. II. pr.

³⁷) Plagiasmum appellant Graeci, ejus multa exempla congecit Lobeckius ad Soph. Ajac. v. 475, p. 295 ed. pr.; latinum unum tantum adjiciam, quia Ruddimanno Inst. L. L. II, p. 148 scrupulum injecisse videtur, Cic. de Prov. Cons. c. 17: *Me, ut sibi essem legatus, non solum suavit sed etiam rogavit.*

Celerem Beryti natum tradidit, cum Juvenalis interprete ita conciliat, ut Tarsi *nutritum*, hoc est educatum et ad philosophiam institutum suspicetur, neque ejus mentionem injecissem, nisi alia quoque de hoc loco disputatio exstaret, quam interpretes quotquot novi omnes ignorasse videntur, Ablwardtii in Prooem. Ind. Lectt. Gryphiswald. a. 1827—28, qui illud potius demonstrare studuit, ipsam ripam,

Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi,

apud Berytum quaerendam esse, ubi Andromedam a Perseo servatam fabula referat; mihi tamen, ut ingenue fatear, non persuasit, talem rem in transcurso peractam sufficere ad integram oram eo nomine significandam, quodque praecipue urget, Tarsum a Persei talaribus, non a Pegasi pinna, quae apud Juvenalem sit, nomen accepisse, scholiastam tantum, non reliquos auctores inspexit, unde intelligere potuisset, ipsius Tarsi originem fabulosam multo minus cum Persei quam cum Pegasi persona, sive eo Perseus sive Bellerophon vectus fuerit, cohaerere ³⁸). Sequitur tertia pars Satirae inde a v. 126, ubi poeta, ne omni culpa in Graecos transferenda suis civibus blandiri videatur, ad Romanos rediens horum quoque illiberalitatem queritur, qua solis divitiis intenti reliqua omnia susque deque habeant; quo in loco obiter moneo me mirari quod in vv. 131—133:

³⁸) Cf. Dionys. Perieg. v. 869: *Ταρσὸν εὐκταμένην, ὅθι δὴ ποτε Πήγαιος ἵππος, ταρσὸν ἀφ' ἑσῆς χόρῳ λίπεν οὐνομα, πῆμος ἀφ' ἵππου ἐς Αἰὸς ἔμμενος πείσεν ἦρος Βιλλερομόντης*: pluraque apud Cellarium Not. Orb. Ant. T. II, p. 253; ταρσὸν autem per solemnem translationem mutuam alarum et remorum ab horum extremitatibus etiam ad illarum pinnas transferri potuisse ostendit Dorvill. ad Chariton. p. 262.

*Divitis hic servi claudit latus ingenuorum
Filius; alter enim quantum in legione tribuni
Accipiunt donat Calvinae vel Catienae,*

nemo adhuc quantum equidem scio interpretum verbo attigit particulam *enim*, quae quum proxime antecedentium rationem nullam contineat, vix alio modo explicari poterit nisi quo ipse olim ad Lucianum de Hist. conser. c. 19 interpretatus sum ejusd. Pseudom. c. 38: καὶ πρὸς μὲν τοὺς ἐν Ἰταλίᾳ ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα προσημιχανᾶτο· τελετήν τε γὰρ τινα συνίσταται κ. τ. λ., ubi male Fritzschius de lacuna cogitavit, alioque loco³⁹⁾ Plat. Phaed. p. 80 C: ἐπειδὴν ἀποθανῆ ὁ ἄνθρωπος, τὸ μὲν ὄρατὸν αὐτοῦ, τὸ σῶμα . . . συχνὸν ἐπιμένει χρόνον, εἰ μὲν τις καὶ χαριέντως ἔχων τὸ σῶμα τελευτήσῃ καὶ ἐν τοιαύτῃ ὥρᾳ, καὶ πάνυ μάλα· συμπεσὸν γὰρ τὸ σῶμα καὶ ταριχευθῆν . . . ὀλίγου ὕλου μένει ἀμήχανον ὅσον χρόνον: neque alia causa est loci ejusdem in Menone p. 73 D: ἔτι γὰρ καὶ τόδε σκόπει, ubi Stallbaumius fatetur se quoties eum locum legerit haesisse in isto γὰρ, nos similem ellipsin statuimus ejus quae saepissime ad hujus particulae explicationem adhibenda est, ut praemissum fingamus *quanquam haec quidem minora*, eodemque pacto Juvenalis verba vel invito Handio⁴⁰⁾ interpretabimur, ut *enim* quasi comprehensis quae clarius per antegressam sententiam exponerentur, explicari possit per *adeo* vel *quid quod*, germ. *erst* vel *gar*, non *denn*, ut apud Weberum est: *denn jener verschenkt an*

39) Cf. Ephem. Schol. a. 1830, p. 336.

40) Tursell. T. II, p. 393, qui tamen hujus usus, nisi me oculi fecellerunt, nullum exemplum simile attulit.

eine Catiena etc, quasi idem esset cum eo, cujus latus tegi ab ingenuis modo narratum fuerat. Pluribus interpretes disseruerunt de *vestito scorto* v. 135, sed ut nec hic mihi quamvis varias in partes sese vertentes satisfecerint: sive enim cum Britannico, cujus sententiam Rupertius probare videtur, interpretamur *vestibus ornatum, ut pulchrius appareat*, Horatium contradicentem habebimus, qui in Sermon. I. 2. 99 sqq. id ipsum discrimen inter matronam et meretricem facit, ut alteram

*Ad talos stola demissa et circumdata palla
contegat, alteram vero Cois paene videre sit*

Ut nudam, ne crure malo, ne sit pede turpi;
sive cum Ferrario⁴¹⁾, quem G. E. Weberus sequitur, *vestitam pro togata* dici statuo, quamvis meretricium cultum agnosco, tamen non intelligo quomodo id vestimenti genus, quod alicujus nationis vel ordinis peculiare est, universo vestimenti vocabulo satis declarari possit, nisi forte etiam Graecum pro *palliato* vel magistratum pro *praetextato vestitum* dici posse censeamus; in utraque autem explicatione illud desidero, quod Juvenalis proprium est, ut in epithetis suis non tam ornamenta vel propiorem definitionem quam gradationem quaerat, qua atrocitas rei aut indignitas aut quicquid praeterea sensuum in lectorum animis excitare cupiat augeatur; quod si nunc id indignatur, quod diviti servo vel matronae pudicitiam suam vendant, pauper ingenuus ne vilissimum quidem prostibulum deducere audeat,

41) Electt. II. 8.

facile apparet *vestiti scorti* neque eandem neque augustiorem sed deteriore potius quam aliorum conditionem esse, quumque de lectionis auctoritate vel *faciei* commemoratio dubitari vetet, quam reliquo corpori vestimentis tecto opponi patet, illud tantum relinquitur, ut vestitum scortum propter hanc ipsam rem vilius habeatur quam nudum, quod hoc ab omni corporis parte venustum sit, illud faciem tantum prae se ferre audeat, reliqua corporis autem occultanda potius quam ostendenda censeat. Ad v. 140 scholiasta laudat Lucilii versus:

Aurum atque ambitio specimen virtutis utrique est:

Tantum habeas, tantum ipse sies tantique habearis;

quem quum temere Dousa ita correxerit, ut *quantum habeas* scriberet, committere nolui ut tam insigne parataxeos exemplum interiret, cui simile ex Latinis literis illud tantum Virgilii comparare possum in Ecl. VIII. 41:

ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error,

in Graeco sermone plura exstare notum est⁴²); de ipsius autem Iuvenalis verbis non habeo quod disputem usque ad vv. 193—196, de quibus quum ipsum Madvigium non qua par erat diligentia et simplicitate disputasse arbitrer, reliqui autem interpretes praeter Guil. Ern. Weberum in turpissimos errores inciderint, nec Weberus rectam sententiam ita firmaverit, ut suo quasi pondere stare videatur⁴³), denuo locum tractaturus integrum adscripsi:

42) Thiersch. Gr. gr. p. 597.

43) Weberus p. 320: *Hier an unserer Stelle, inquit, ist von einem Hausmeier, Castellan oder Hausmeister die Rede, der an des Hausbesitzers Statt in einem grossen auf Spekulation*

*Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte sui nam sic labentibus obstat
Villicus, et veteris rimae quum texit hiatum,
Securos pendente jubet dormire ruina.*

Illud tantum recte Madvigius instituit, ut *villicum* demonstraret non posse esse *praefectum urbis*, quod, neglectis quae jam veteres interpretes ad illum locum annotaverant, vel recentissimi sibi colligere visi erant ex Sat. IV, v. 76, ubi per contemptum tantum praefectus urbi appellatur villicus, quasi tota urbs in villam imperatoris magistratusque in servos ejus vel libertos mutati essent⁴⁴), nec quod Rupertii scripturam *quum texit* defendit contra E. G. Weberum, editorem Vinariensem, qui antiquam lectionem *contexit* tueri conatus erat, invidum et iniquum ejus censorem Badenum refutasse puto⁴⁵); quam vero idem ille probavit vel Madvigii vel Ferrarii interpretationem⁴⁶), qua *villici* mentio ad praedium rusticum refertur totus-

erbauten meritorium, d. h. einem Hause, das ausdrücklich zum Vermiethen angelegt ist, die Aufsicht führt und unter den vielen meist ärmeren Bewohnern Ordnung hält; quo in loco id quoque reprehendo, quod tale aedificium meritorium appellavit; meritoria enim singulae tantum ejus partes vel coenacula appellantur, quibus domus per singulos inquilinos distributa est, ut et alii loci docent et Ulpianus l. 13 §. 8 ff. de usufructu VII. 1: Si domus usus fructus legatus sit, meritoria illic facere fructuarius non debet nec per coenacula dividere domum, cf. Beckeri Gallum T. I, p. 39.

44) Sic jam scholiasta p. 133: *eleganter sub Nerone urbis praefecturam jacuisse dicit, quasi scilicet urbs ipsa jam tum esset villa principis; cf. Madvig. Opuscul. p. 55.*

45) In Seebodii Bibl. crit. 1830, p. 367, qui ne quaestionem quidem, de qua agitur, recte intellexit.

46) Elect. II. 9: *ea ratione dominos reparare aedificia prolabantia, qua villici rusticas aedes instaurent, rimas tantum obstruendo, ne suntum faciant.*

que locus in comparationem convertitur, ut eadem negligentia et perfidia, qua villicus labentis villae rimas obducere soleat, urbana quoque aedificia curari dicantur, nec languidiorem neque ab universa orationis forma rei que natura alieniorem excogitari potuisse contendo. Primum enim si veterum testimonia audimus, non villarum hoc proprium et quasi peculiare erat, ut rimas ducerent, quarum comparatione etiam urbanorum praediorum casus illustrari possent, sed insularum, hoc est eorum aedificiorum in urbe, quae quum non ipsorum dominis habitanda sed inquilinorum multitudini locanda destinarentur⁴⁷⁾, propter lucrum, quod inde redibat, tabulorum numero aucto ad tantam altitudinem evehebantur, ut, quamvis iteratis imperatorum edictis ad certum modum redacta⁴⁸⁾, parietes tamen saepe non amplius moli sustentandae pares haberent nec minus ruinarum quam incendiorum frequentia infestam urbem redderent⁴⁹⁾; unde v. c. Seneca de Ira III, 35 *parietes insularum exesos, ruinosos, inaequales* describit, de Benef. autem VI. 15: *quantum, inquit, nobis praestat, qui labentem domum suscipit et agentem ex imo rimas insulam incredibili arte suspendit*, idque ipsum verbis *tenui tibicine fultam* tam clare Juvenalis indicavit, ut pro-

47) Cf. Nardini Roma antica L. III, c. 4, p. 86 sqq.

48) Strabo V, p. 235; Tacit. Annal. XV. 43; Aurel. Victor Epit. c. 13.

49) Utrumque jungunt Propert. II. 27. 9; Lucan. Phars. I. 494; M. Seneca Controv. II 9, p. 153; L. Seneca de vita beata c. 26 etc.; de incendiis praeter Martial. III. 52 cf. imprimis Gell. N. A. XV. 1, ubi itidem *insula* describitur *occupata igni, multis arduisque tabulatis edita*.

fecto non opus esset comparatione a villis rusticis ducta, ut lectoribus suis ea illustraret, quae quotidie oculis suis in ipsa urbe cernerent. Verborum autem structura tantum abest ut Madvigii sententiam confirmet, ut, nisi quis villici vocabulo rus se mitti patiat, in iis, quae per particulam *nam* prioribus annectantur, nihil nisi causam expectaturus sit, cur magna Romae pars tenui tibicine fulciatur, nimirum quia talibus artificiis villici labentibus obstare soleant, de comparatione vero ita tantum cogitare possit, ubi villico nihil cum rebus urbanis rei esse sibi persuaserit; unum igitur restat, ut ostendamus *villici* nomen non angustis praediorum rusticorum finibus circumscribi, idque vel missis quae ab aliis allata sunt *villicorum aerarii, hortorum, alimentorum* exemplis, quae a nostro loco semper aliena erunt, ex eo poeta demonstrari potest, quo nemo nostro vel aetate vel rerum tractatarum similitudine propior est, Martiale, qui quod in l. XII epigr. 32, postquam miserabilem Vacerrae pompam derisit, qua supellectilis quantum non pro bima pensione retineretur, e conducticiis aedibus in alteras transtulerit, in fine adjicit:

Quid quaeris aedes villicosque derides,

Habitare gratis, o Vacerra, quum possis?

eum tantum sensum habere potest, ut pauper ille, dum cum sarcinulis suis meritorium quaerens urbem pererret, praefectos illorum quasi deridere videatur⁵⁰⁾, nec dubito quin eodem modo, quo

50) Inepte Farnabius: *quid quaeris villam ruri, quasi lautiorum more per aetatem rusticaturus sis; neque enim in mentem venire poterat pauperi homini ut villam conduceret,*

praedia pariter *urbana* ac *rustica* haberi solebant, *villici* quoque in urbe pariter ac ruri appellati sint servi vel libertini, quibus a praediorum dominis reddituum et integritatis eorum cura mandaretur, eoque nomine non minus *procuratores insularum*, ut alibi vocantur ⁵¹⁾, sive *insularios* ⁵²⁾ quam familiae rusticae praefectos comprehendere liceat. Et hoc quidem mihi in causa fuit, ut a Madvigii interpretatione recederem, Webero quid fuerit ignoro, si quidem rationes hic non magis attulit quam ad v. 205, ubi quod *Chironem sub abaco recubantem* in sigillum convertit, quod miscellus ille Graecarum artium amator nescio unde nactus in eundem cum urceolis angulum detrudere coactus sit, equidem ita tantum tuendum suscipiam, ut simul alteram ejusdem opinionem impugnem, qua sequentes versus:

Jamque vetus Graecos servabat cista libellos

Et divina opici rodebant carmina mures,

ad ipsius Codri carmina refert ⁵³⁾; mihi enim totus locus ex oppo-

qui ne hospitii quidem mercedi solvendae par esset, neque villici fuisse arbitror, ut villam venderet aut locaret.

51) Petron. Satyr. c. 96.

52) Cf. T. Popma de operis servorum p. 167 et Dirkseni Manuale latin. font. jur. civ. p. 485.

53) Interpr. p. 322: *Denn die griechischen Bücher sind natürlich seine eigenen Gedichte, die er an keinen Buchhändler los werden kann, wenn schon er sich mit deren Vorlesung heiser kreischt (I. 2), und die nun von Mäusen benagt modern.* At Satira prima de latinis tantum poëtis agere videtur, et si vel maxime concedam nostrum Codrum eundem esse qui illic commemoratur, illic quoque probabilis suspicio est Weichertii in Poët. lat. reliqu. p. 407, Juvenalem Codri nomen a Virgilio (Ecl. V. 10 et VII. 26) mutuumsisse, quem et ipsum latinum poëtam ridere certum est.

sitione explicandus videtur, qua Juvenalis eam supellectilem, quam pauper poëta incendio amiserit, cum ea comparet, quam dives ex amicorum collationibus nanciscatur; quo in genere si Polycleti Euphranorisque operibus Chiron ille respondebit, cistae cum carminibus eadem ratio erit quae *librorum cum forulis mediaque Minerva* (v. 219), nimirum ut bibliothecae locum tenuerit, quanquam hac ipsa re paupertas Codri cubiculique angustiae declarantur, quod ne libros quidem, quos haberet, ita condere potuerit, ut a muribus tuti essent. Sed hoc in suscipione tantum positum esto; illud certius, quod miratus sum utriusque Weberi acumen effugisse, *mediam Minervam* non esse Hermathenam quasi *dimidiatam* Minervam, quod rei rusticae et historiae Augustae scriptoribus relinquendum erat ⁵⁴⁾, quum Juvenalis eam potius dicat, quae in media bibliotheca, medios inter forulos constitueretur: nec v. 237 *stantis convicia mandrae* vel ad mulos referam cum plurimis, quibus Martialis locum fraudi fuisse suspicor ⁵⁵⁾, vel cum aliis objective intelligam, ut sint *convicia ejaculata in mandras stantes* ⁵⁶⁾; convicia certe non video cur statim ad maledicta trahamus, quum primariam ejus vocabuli

54) Cf. Casaub. ad Jul. Capitol. p. 109.

55) Mart. V. 22. 17: *vixque datur longas mulorum rumpere mandras*; unde tamen etiam si apparet, quod Seneca quoque testatur de ira III. 6, per frequentia urbis loca properanti haud raro in mulas incursitandum fuisse earumque mularum greges *mandras* appellari potuisse, nequiquam sequitur ut ubicunque *mandrarum* mentio exstet, muli intelligendi sint.

56) Sic cum Calderino Cramerus ad Schol. p. 107, nec multum differt Vinariensis editor p. 172, quum: *stantis*, inquit, *mandrae convicia* sunt ea, quae agitatores in stantem, cunctantem, non progredientem mandram h. e. longam mulorum seriem jaciunt.

potestatem ad indiscretos tantum vel hominum vel animalium clamores pertinere constet⁵⁷⁾, hoc autem concessio nihil impedit quo minus *mandram* quoque ad eam significationem reducamus, quam ipse Weberus ex Theocriti scholiasta attulit⁵⁸⁾, ut ovium gregem contineat, stantisque mandrae convicia nihil aliud sint nisi ovium praetereuntium balatus, quae quo diutius rhedarum concursu retineantur, eo magis dormituriem strepitu suo excrucient. In vv. 243—245 ipse, Illustrissime WAGNERE, refutasti Rupertium, qui *undam priorem et populum qui sequitur* ad lecticam, non ad clientes pedibus incedentes retulerat; sed de sequentibus quoque sententiam TUAM cognoscere velim, num hoc Rupertio concedas, hominem, qui v. 259 sqq. saxorum casu conteratur, servum habendum esse, non ipsum clientem, qui matutinorum officiorum serie perfunctus domum redeat; mihi, ut ingenue fatear, parum veri simile videtur Umbricium ab eorum hominum fortunis exempla sua repetere, qui non ejusdem secum conditionis sint, utque concedam vulgi nomine v. 260 etiam servos comprehendi posse, eum tamen servum, qui vv. 252 sqq. commemoratur *tot res impositas capiti portans et cursu ventilans ignem*, in earum potius rerum numero ha-

57) Ovid. Metam. IV. 378 de ranis: *dilatant patulos convicia rictus*: cf. Phaedr. Fabb. I. 6. 5; Colum. R. R. X. 12, ipsumque Cicer. pro Sestio c. 55, ubi Orellius etiam aliud ejusdem fragmentum affert ex orat. pro Gallio apud Aquil. Roman. p. 144: *ut clamor, ut convicium mulierum*.

58) Ad Idyll. IV. 61: *μάνδραν τὴν τῶν προβάτων ὄρχαμην*: Adde schol. Aesch. Prometh. v. 575: *τοιαύτην ὄρχην ἄδουσι οἱ ποιμένες, ὅταν τὰ θρέμματα ἐπὶ τὴν μάνδραν κατέγουσι κοιμηθρομένα etc.*

beam, quae properantibus obstent turbaeque incommoda augeant magis quam patiantur, nec causam video, cur eum, cujus v. 254 *scinduntur tunicae sartae*, diversum censeam ab illo, cujus v. 246 sqq. capiti tignum incutiatur, crura luto respergantur, clavus in digito haereat, quae si omnia in unum convenire posse dicantur, multum profecto rei atrocitas crescit. Unum interest, quod usque ad v. 248 iter ad matutinam salutationem, inde ab eo autem reditus a patroni aedibus describitur, quem postquam mane ad forum clientes comitati erant, octavam circiter horam⁵⁹⁾ ab officiis domum deducere indeque ad coenam sibi parandam discedere solebant⁶⁰⁾; at hoc ipsum est quod dico ejusdem hominis utrumque iter describi oportuisse, ut pauperis pericula per diversas diei partes quasi disposita apparerent, neque intelligeremus quapropter domestici interea non modo *patellas lavare et bucca foculum excitare*, sed etiam *unctis strigilibus sonare et pleno gutto lintea componere*, hoc est balneum parare dicerentur, nisi ipse herus esset, quem frustra expectarent; balnei enim usum servus cibos afferens morari non poterat. Quid quod ne necessarium quidem est, ut eum, qui plaustrorum casu obtritus dicatur, coenae materiem domum laturum fuisse statuamus; quod enim v. 249 legimus:

Nonne vides, quanto celebretur sportula fumo?

eam tantum vim habet, ut nova turbae causa appareat, quae redeunti offeratur, utque is et ipse sportulam petitum venerit, magno-

59) Horat. Epist. I. 7. 48; Martial. IV. 8. — 60) Juv. Sat. I. 127 sqq.

pere tamen erravit Rupertius, quum temporum rationibus misere confusis illum versum ita explicaret, ac si sportula illa, quam mane ante discessum ad forum datam esse Sat. I, v. 128 docet, non centum quadrantibus sed cibariis constitisset, quae videlicet usque ad coenae tempus calida servanda fuissent ⁶¹⁾; multo rectius jam scholiasta: *pulmentaria*, inquit, *portant secum, comparata ex sportula* ⁶²⁾, idque ejusdem Sat. I v. 120 confirmatur, unde videmus ipsis illis centum quadrantibus, quos mane accepissent, et *panem et*

61) Apposite Buttmanns in Seebodii Bibl. crit. 1821, T. I, p. 405: *Da die sportula an die Stelle der cena trat, so könnte man glauben, sie sei auch erst zur Zeit der cena ausgetheilt worden, aber die Worte Juvenal's belehren uns eines andern etc. Unus tantum locus est Martialis X. 70. 13, unde Beckerus in Gallo T. I, p. 148 colligit vesperi demum sportulam ab iis petitam esse, qui mane salutationis officium praestitissent:*

Balnea post decimam lasso centumque petuntur

Quadrantes; fiet quando, Potite, liber?

at haec quoque sportula pecuniae fuit, non cibariorum.

62) Buttmannus quidem l. 1 p. 396 negat se intelligere quomodo omnino interpretes hoc in loco de clientium sportula cogitare potuerint; magnam potius coenam de symbolis describi, ad quam suum quisque conviva apparatus sportellis conditum secum ferat, eumque in usum affert Athenaei testimonium VIII, 68, p. 365 A: *τοῦτο δὲ σαφῶς δηλοῦν τὸ ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον, ὅταν τις αὐτὸς αὐτῷ σκευάσει δεῖπνον καὶ οὐκ εἰς σπυρίδα παρὰ τινα διακνήσων ἔη*: at hic profecto coena non in sportellis sed in vasis ingentibus portatur, utque mittam tales *ἐράτους*, quales Buttmannus fingat, vix inter quotidiana urbis pericula recenseri potuisse, audacior profecto metaphora fuisset, coenam ipsam. quia in sportulis ferretur, sportulam appellari; quod si revera coena de sportulis dici solebat, qualem Athenaeus describit, convivarum collationibus parata, ad nostrum locum ita tantum adhiberi poterit, ut dicamus eos, qui sportulam petiissent pro eaque cibos comparassent, haud raro ad coenam communiter peragenda coisse, Athenaeum autem caeca latini vocabuli interpretatione in errorem ductum esse, idque Hesychii quoque glossa confirmatur T. I, p. 485, quam ipse Buttmannus probabiliter sic legit: *ἀπὸ σπυρίδος διακνήσων ἢ διακνήσων τὸ ἀπὸ δεῖπνον ἀγορεύον κατὰ μέρος* (vulg. *καὶ μέρος*, possis etiam *κατὰ μέρος*, cf. ad Lucian. de Hist. scr. p. 9) *ἐν σπυρίδι λαβεῖν ἢ δοῦναι*.

fumum sibi clientes comparasse, quo facto sportulam quasi celebrare dicuntur. Verum enim vero longius me quam propositum erat evagari sentio, metuoque ne patientia TUA abutar, Clarissime WAGNERE, si de iis tantum me locis acturum pollicitus, qui aliquid controversi aut nimii continerent, ad Rupertii errores refellendos descendam, quos si quis omnes cum pulvisculo exhauriri posse credat, eadem opera Chrysippi acervum finiat; quae quum ita sint, unum tantum praeterea locum tangam, quem sine piaculo omittere non posse videar, vv. 295, 296:

Nil mihi respondes? Aut dic aut accipe calcem:

Ede ubi consistas; in qua te quaero proseucha,

quibus etsi de meo nihil novae lucis afferri posse fateor, tamen et hoc agam, ut tenebras diffundam, quibus nimia recentissimorum interpretum diligentia clarissimum locum obscuravit, et alium sanequam insignem parallelum quasi postliminio reducam, quem etsi jam Politianus ⁶³⁾ et Turnebus ⁶⁴⁾ cum nostro contulerant, illorum tamen quantum inveni nemo iam usum suum convertit. Et illud quidem negari nequit, quod multis Josephi, Philonis, Epiphanius ipsiusque N. T. testimoniis comprobatur, *προσεύχης* vocabulum solemne fuisse de aedificiis magnis et spatiosis, quo Judaei *ταῖς ἱεραῖς ἐβδόμασι* orandi causa convenire solebant ⁶⁵⁾, nec si quis Juvenalis

63) Miscellan. c. 30.

64) Turneb. Advers. I, 19.

65) Praeter eos, quos Rupertius laudat, cf. imprimis P. Leopardi Emendatt. III, 4 (in Gruter. Lamp. T. III, p. 46, quem solus Grangaeus adhibuit, reliqui omnes interpretes quanquam doctissimum hujus rei enarratorem ignorasse videntur.

quoque *proseucham* ad ejusmodi oratorium quanquam tenue et eorum opibus consentaneum, quos in hac Satira v. 14 cum foeno et cophino in Camenarum valle excubantes invenimus, respicere contendat, habeo quibus contrarium demonstrare possim; quod autem inde praeterea sibi colligere visi sunt eam nocturni illius grassatoris mentem esse, ut simul etiam Judaismi vetitaeque superstitionis miserum illum solitarium insimulet ⁶⁶), id vero tantum abest ut amplectar, ut non modo a totius loci sententia alienum esse ducam, sed ne ex *proseuchae* quidem vocabulo necessario sequi concedam. Nam ut mittam quod Turnebus monuit, quum Judaei ad eleemosynam dandam propensissimi essent, ad ipsorum fana ceu mendicorum conventum coire potuisse, ipsos Judaeos, qui circa Romam essent, illa aetate ita ad mendicitatem redactos videmus ⁶⁷), ut mirum esse non possit, si ea vocabula qui ad ipsorum res pertineant, in proverbialem mendicitatis significationem abierunt, idque maximam

66) Cf. G. E. Weberus interpr. p. 327: *der übermüthige Jüngling . . . giebt hier dem bedrängten Manne zu erkennen, dass er ihn für einen Bettler hält . . . oder dass er ihn gar zu der verdächtigen und verpönten Secte der Judengenossen, die aus der Bevölkerung Roms sich heimlich zum Judaismus hielten, rechnet; neque aliter E. G. Weberus in edit. Vinariensi p. 178, qui vel eo procedit, ut hominem, quem aperte societatis cum abjectissima gente accusari vult, nobilem Romanum fingat, quem petulantissimus juvenis ea quaestione etiam magis ad iram incitare velit!*

67) Cf. Schol. Juven. IV. 117: *qui ad portam Aricinam sive ad clivum mendicaret inter Judaeos, qui ad Ariciam transierant ex urbe missi; quem facile corrigas ex loco Perotti ab E. G. Webero allato: Locus vero, in quem convenire postulatōres hujusmodi solebant, ut erant pontes Romae et clivus Aricinus, propter confluentes ad templum Dianae proseucha dicebatur; ex eodem autem, quem interdum ex fontibus nobis ignotis hausisse constat, probabiliter colligas, Ariciae quoque, ubi Judaei illi mendicare solebant, *proseuchae* nomen adhaesisse, licet ejus causam Perottus ipse non amplius perspiceret.*

confirmationem accipit ex loco quem dixi Cleomedis κυκλ. Γεωρ. II. 1, p. 112 Bakii, qui de Epicurei sermonis sartagine loquens: ὦν τὰ μὲν, inquit, ἐκ χαμαιτυπείων ἂν τις εἶναι φήσειε, τὰ δὲ ὅμοια τοῖς λεγομένοις ἐν τοῖς Δημητρίοις ὑπὸ τῶν Θεοδοροφιαζουσῶν γυναικῶν, τὰ δὲ ἀπὸ μέσης τῆς προσεύχης καὶ τῶν ἐπ' αὐτῆς προσαιτούντων, Ἰουδαϊκά τινα καὶ παρακεχαραγμένα καὶ καταπολὺ τῶν ἐρπετῶν ταπεινότερα, quae quum non tam ad superstitionis aliquam notam, quam ad barbarum et plebejum sermonis usum pertinere ⁶⁸) et Epicuri indoles et ipsum προσαιτούντων vocabulum testetur ⁶⁹), nostro quoque loco nullius rei nisi summae inopiae imaeque hominis conditionis significationem inesse *proseuchaeque* mentionem nunc certe nihil praeter locum, ubi mendici ad stipem petendam consistant, continere meo jure affirmare mihi videor. Reliquum vero loci argumentum quod attinet, frustra profecto laboravit editor Vinariensis, ut in conche sectilique porro et elixi vervecis labris aliquid inveniret, quod aut ad Judaeorum epulas aut ad vetitos popinarum sumtus traheret, quo ipse postremo intellexit nec vervecinum caput neque acetum et cetera, quippe vilissimae plebeculae cibos necessarios referri posse, neque omnino illud committendum censeo, ut ex quaestione v. 196 eorum quae antecedunt argumentum colligatur; haec enim nova contumelia est, qua grassator adversarium suum afficit, postquam ille ad priores

68) Qua eadem sententia Lucianus de Hist. conscr. c. 22 dixit: εὐτελῆ ὀνόματα καὶ δημοτικὰ καὶ πτωχικὰ πολλὰ παρενεβέβηστο etc.

69) Hoc enim ipsum esse mendicare apparet ex Xenoph. Mem. Socr. I. 2. 29, Plat. Symp. p. 203 B etc.

quaestiones respondere detrectavit, idque etiam contra Pinzgerum dictum esto, qui eo audaciae processit, ut duorum versuum, quos superius posui, ordinem mutandum censeret, quia post verba: *aut dic aut accipe calcem*, nihil praeterea juvenis ille interrogare posset, sed exspectare deberet quid alter responsurus esset⁷⁰⁾; TU certe, Illustrissime WAGNERE, quo polles acumine, non a me demum monendus es, quam perite et graphice id ipsum Juvenalis instituerit, ut postquam aggressor detrectantem illum quasi ad certamen singulare provocaverit, eundem cum contemptu interroget, ubi consistat, ut, si nunc fortasse certamen diremtum fuerit, postridie habeat ubi id instauret. At quid omnino est, in quo TE mea monita exspectare dicam, qui jam juvenis Heynii, viri immortalis, disciplina usus tantum in his literis profeceris, quantum alii vix totius suae vitae cursu assequi soleant; mox illustrissimo Comiti de Salis itinerum socius adjunctus eos quoque fontes adieris, unde quum omnibus scriptoribus antiquis tum ipsi Juvenali nostro melior quam ex omnibus libris explicatio petatur; inde autem redux Gottingam primum, deinde Brunsvigam doctrina TUA illustraris, postremo ad almam nostram Philippinam delatus per undetriginta annos ita de ea merueris, ut non modo per totam Hassiam vix unum alterumve oppidum inveniatur, ubi non grati auditores TUAE disciplinae recordentur, verum etiam industria et solertia TUA nominis ejus fama vel ultra Oceanum percrebesceret! Neque illud mihi ab Amplissimo Senatu Academico

⁷⁰⁾ In dissert. laud. p. 14.


mandatum est, ut TUI honoris specie meas qualescunque nugas venditarem, sed ut illud tantum viderem, ne tam laeti faustique diei splendor erudita aliqua symbola eoque quasi epularum genere careret; quo doctos doctum excipere decet; quod quum his pagellis, quantum quidem per virium mearum tenuitatem temporisque angustias licebat, satis curasse mihi videar, nihil restat, nisi ut eos TIBI sensus declarem, quorum me interpretem collegarum unanimitas esse voluit, laetitiaeque, qua TE festum hunc diem afficere consentaneum est, nobis quoque quantam deceat partem vindicem. Salve igitur, Senex Venerabilis, cui hoc divinitus tributum est, ut ad eum diem, quem pauci omnino vita sua attingunt, rara valetudinis firmitate integroque corporis pariter ac mentis robore pervenires; salve, Collega Praestantissime, quem qui annis aequiperant, jucundissima temporum una actorum memoria amplectuntur, juniores autem tanquam unum ex statoribus et quasi alteris parentibus Academiae nostrae merito suspiciunt; salve, Vir Clarissime et Doctissime, qui ne in tanto quidem aetatis fastigio constitutus in merita doctrinae laude conquiescis, sed indefesso studio etiam nunc literis promovendis operam TUAM impendis; salve, inquam, nosque omnes, quibus hunc TEcum diem celebrare contigit, ita TIBI gratulari persuasum habeto, ut simul ejus fortunae diuturnitatem omniaque laeta et fausta TIBI etiam in posterum apprecemur. Faxit Deus Optimus Maximus, ut, quem adhuc admirabili constantia vitae cursum servasti, eundem ad extremum usque diem retinere contingat neque alia re unquam annorum TUORUM multitudinis admonearis, nisi reverentia, qua TE

omnes, quicunque laudes TUAS virtutesque norunt, prosequi necesse est; juvenibus autem disciplinae nostrae traditis eas mentes duit, ut TUO exemplo discant, quomodo et adolescentia sapienter uti et virilem aetatem bene collocare debeant, ut senes superbiam meritis quaesitam sumere vitaeque recte et fructuose actae conscientia perfrui possint; quod ubi ex voto contigerit, non TUA tantum sed totius Academiae causa hunc diem quotiescunque redierit grata laetaque memoria recolere licebit.



42

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES



0021062501

MAY 2 1942

